



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 6. Regulas Euangelicae perfectionis non solis Religiosis sed omnibus  
Christianis traditas esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

expergisci conantur, sed alto sopore demersi, protinus in somnum remerguntur. Nemo igitur mirari debet, si multa proponimus, nihil excuimur; tàm quia difficultates, quæ in bonis actionibus solent occurrere, non prævidemus, illisque apparentibus retrocedimus, tum quia magis in propriis viribus, quam in Dei adiutorio confidimus, & ideo ingruente tentatione deficimus, ut discamus non nostræ virtutis esse, sed Divinæ misericordiæ, quod vincimus: tàm quia denique multam speculationi, parum affectui incumbimus, & leges bene vivendi in doctrina potius, quam in conscientia habere volumus, scientiam Divinam studiosè inquirentes, non ut mores habeamus quos illa instituit; sed ut ad hominum laudes per ejus ostentationem perveniamus. Inanis autem labor est sapientiam discere, & insipienter vivere.

## §. VI.

*Regulas Evangelicæ perfectionis non solis Religiosis, sed omnibus Christianis traditas esse.*

**Q**uia plurimi sunt, qui tradita à Christo Christianæ perfectionis documenta nec discere, nec servare volentes, ne illa temere abjecisse videantur, ad illos dumtaxat spectare asserunt, qui claustris inclusi à seculi curis alieni sunt; ostendam evidenter quam sit inanis & falsa eorum persuasio, ut hoc errore sublato veritas patefacta clarescat. Verissimum quidem est, duplici statu Christianorum vitam distingui, mundano, & religioso; uterque tamen, diverso licet tramite, ad eundem terminum tendit: & quod attinet ad praxim virtutum, ad mundi contemptum, ad paupertatem spiritûs, ad amorem Crucis, par utriusque conditio est, hoc solo intercedente discrimine, quod Religiosi solemnium votorum ac regularum vinculis divinsti, strictiori jure quam mundani ad perfectionem tenentur, in reliquis una & eadem vitæ ratio ab utrisque requiritur, unum & idem Evangelium omnibus prædicatum est. Cumque Deus nihil præcipiat nisi Charitatem, nihil prohibeat nisi cupiditatem, nulla in his differentia, nulla exceptio personarum reperitur. Præcepit Salvator noster, ne quis verbum otiosum loquatur, rationem de illo redditurus in die judicii, ne quis irascatur, ne quis concupiscat,

nec ullam videmus positam esse distinctionem inter Monachos, & conjugatos. Simili modo cum dixit beatos esse qui lugent, infelices qui rideant: cum docuit, nos oportere semper orare, omnibus renuntiare, vitam odisse, nos ipsos abnegare, injurias patienter ferre, intrare per angustam portam, nullum certè hominum genus exclusit. Paulus item Apostolus, cum omnibus Christianis etiam conjugatis filiosque nutrientibus scriberet, nonne ab illis omnem exigit vitæ Monasticæ disciplinam? *habentes, inquit, alimenta, & quibus regamur his contenti sumus (1. Tim. 6: 8.)* Quid amplius ab Anachoretis requireret? Petrus quoque & Jacobus Apostoli, nonne ad omnes Christi fideles scribebant, cum eos hortabantur, ut essent sancti, integri, perfecti, in nullo deficientes, (1. Petr. 1: 15. Jac. 1: 4.) Christus denique cum dixit, *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est (Matth. 5: 48.)* sermonem habuit ad omnes in se credentes, quibus altissimum Sanctitatis scopum præfixit, ut omnes qui per adoptionem Filii Dei nominamur, & sumus, Patris Perfectionem æmulemur. Magna itaque cunctis Christianis sanctitatis necessitas indicta est, ne à paterna hæreditate tantquam degeneres excludantur.

## §. VII.

*Hujus Libelli utilitas, & exhortatio ad perfectionem.*

**I**ded contemptis omnibus, quæ bona mortales putant, huic soli curæ incumbendum est, ut per Christi vestigia ad Evangelicæ perfectionis culmen properemus. Ad hoc referuntur quæcumque in hoc Libello collecta sunt, ut superatis sensuum præstigiis, & veritate comprehensâ, quasi in Regionem originis nostræ revertamur, de vitiis triumphaturi, & in perpetuum regnaturi. Filii hujus sæculi persuadere conantur, perfectionem rem difficillimâ esse, nec posse in hoc mundo inveniri, ut segnis effectus homo quærere non audeat, quod se consequi posse desperet. Sed volenti nihil difficile, & quidquid arduum est, gratia Dei facile reddit. Tanta est autem pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas æternæ lucis, tantus splendor incommutabilis veritatis, ut si unius tantum